

orationum quæ sparſim Latinis Budæi epiſtolis prioribus adſcriptæ ſunt, familiaris traductio.

Charta. 7. τῆς εἰρήνης οὐῶ &c.

**P**Acis itaque ſpeciem quidem placidam ac feſtiuam: nomen autem plauſibile & ſuaue eſſe nemo ierit inficias, duntaxat prudentum. Atqui amice, foedera loco nō dimoueri amborum admodum regnorū intereſſe inquis: ob idq; pacem diligis & amplecteris, tanquam literarum bonarum atque diſciplinarum parentem & alumnam. Contra uero, bellum deteſtaris & auerſaris, ut planè exitioſum philoſophiæq; incunabulis & nutrimentis inauſpicatum ac prorsus inimicū, quodq; noſtras utriuſq; regni copias uehementer acciderit. Hic autem nōnulli ex eorum numero qui ampliori apud Francos ſolertia pollent idonei quidem ipſi fortaſſe ad belli foederumq; rationes coniecturis colligendas, non pari certe nobiſcum ſtudio quietis affecti Britannos diſtitant præſentibus quidem pactis libentes ac quieturos tandiu ac manſuros, quoad Tornacum certius cōſtituerint. Eo nanq; recte pleneq; demum communito non iam uos conſtanter cōuentionibus ſtatueros, occasione uel qualibet conſeſtim abrepta. Atq; hi quidem hoc modo, cuiuſmodi pleraque abiectis ſtatim foederibus iactari ſolent. Cæterum ipſe tecū exoptarim quæ bene atq; ordine collocata ſunt ſtabili ut ſede maneant ſi tempore nō diuturniori, at nobis certe uiuentibus: quo impune ſcilicet & ſecure nobis poſt hac epiſtolas uiciſſim miſſitare liceat: ſi tibi modo tuiſq; iſtic amicis cordi ſit noſtram apud huiuſce tempeſtatis uiros eruditos, necnon & poſteros amicitia reddere famigeratā: quem admodum maiores noſtri literarum præconio inſignes mutuis literis conſignatam ſuæ amicitia memoriam nobis reliquerunt



querunt. At uero princeps noster quatenus possum conijcere, animum præ se ferre uidetur in percussis uobiscum foederibus alijs que cum nationibus permanendi: nec quicquam certe prius designandi quæ de se suisque, aut uos, aut aliorum aliquos uiolata pace consilium capere secus intellexerit.

Pagina 12.

τοσδτω δὴ ἀπασόπερον &c.) Tanto quidem gratiorem quanto te lubentius ipse & generosius in amicitiam intulisti. Proinde quum externos amicos recenseo, qui in primariorum album referaris iure optimo dignus es. Quin mihi uideris non tuum modo nomen ultro sensim ac clanculum perscripsisse, sed iusta quoque tum manu tum animo facere & præstare.

Pagina 21. μάλλον δὲ &c.) Vale mi Oxymore: imò uero Morosophe, & fortunatus esse perge.

Pagina 24

ὁ νεανίσκος ὁ σοφός &c.) Reddidit mihi annulos iuuenis, tuus ceu famulus ceu discipulus, aut certe utrunque, argenteos quidem duodeuiginti, cæterum cum his aureum unicum. Quorum bonam iam partem tum amicorum, tum consanguineorum uxoribus magnifice dilargitus sum, uim etiam deierando malis atque adeo sycophantæ morsibus amolendis eos obtinere efficacem. His igitur acceptis commendabam tuam industriam, qui simul tuæ mihi des beneuolentiæ fidem, simul meæ uicissim accipias tanquam tibi desponsæ uelut quodam ad firmandam fidem pignora conuenientissimo. Equidē lubens istas, si tibi gratæ sunt, pactiões tecum hac lege contraxerim inter nos, ut in posterum amemus. Quid nī enim ego? qui huius notæ amicitias iam diu ambiebam. Vide tamē ut haud dubie ac bona fide hoc pactum in eas. Nam tuam ego epistolam pro instrumento rei fidem ipsius facturo sum adseruaturus. Quod si te ami-



citiae parteis officiose comiterque exercere piguerit, scito quidem te Budæum expostulatorem amicum & contentiosum habiturum, etiam si in causis controuersijsque minus uersatū nec dicendi admodū facultate præditum. Vide igitur inquā officium colas amice ac decenter. Neque enim satis esse arbitror huiuscemodi amicis, reciproca inter se beneuolentia affici, nisi iusta etiam amicitiae mutuo reddant literarum ultrocitroque mittendarum uicissitudine. Sed o meam simplicitatem. Non enim hæc scribo, & non equitem (ut in prouerbio est) in campum prouoco: nempe qui Linacrum uarijs disciplinis summamque utriusque linguæ doctrina præditum in hoc certamen accendam, de me semidocto, imò uero perperam docto quamprimum uictoriam reportaturum. Sed quid facerem? In sapientum enim uirorum epistolis perlubens acquiesco: hilari etiam animo ad eos subinde respondens, quanquam esse me haud paulo ipsis inferiorem agnoscam. Vale uir eloquentissime, & perge opera longe pulcherrima, studioque plurimo digna conscribere, & nostræ memento amicitiae. Sic fructū percipere tibi contingat, & elaboratorum prius operum & posthac edendorum.

Pagina 26. ὁμηρικὴ λητώ &c.) Homericæ Latona.  
Et capite & fronte hæc alias supereminet omneis.

Ibidem, ἡδυστορ ᾤ &c.) Suauissimum enim nostin: quod quis cupit assequi.

Ibidem. πάντα λίθον &c. Omnem mouens lapidem: denique nihil non factus.

Ibidem. ἐπεμψαδῆσοι &c.) Ad te autem misi annulos aliquot, quos iam tibi redditos opinor: minutū plane munus, si ad eius precium respicis: Sin autē ad uires, non inconueniēs fortasse nostræ amicitiae pignus. Quando annulus & conubia contrahentiū, et præceptorum & conuiuia celebratorum fidem sancit roboratque. Hi autē à Rege nostro consecrati



secrati cuiusuis esse generis conuulforum amuletum existimantur. Proinde sancti quum sint ipsi quidem, amicitiae rei sanctae non dissentaneum sunt, uel retinaculum, uel monumentum. Eos itaque qualescunque cum beneuolentia missos, beneuole ut accipias facies. Vale Celtarum literatissime.

Pagina 27.

ὄυδεμ γὰρ ἀπὸ &c.) Nihil enim absentes amicos longeque distantes aequè post repraesentare, ac missarum ab amicis epistolarum monumentum. Praestita siquidem ab amicis munera, sunt ipsa quidem cum grata, tum eius etiam qui miserit, nos admonent, quandiu saltem extant usu non intercidentia: amicos attamen in aliena regione procul à nobis distitos nec repraesentant, nec amice coram & comiter colloquendo uicem nobis suppeditant.

εἶναι ἐπιστολάκωρ. id est, missitandis epistolis animi intendere.

Ibidem ἀφ' ἑσῆς γὰρ &c.) Assatim utere amico tuorum scriptorum qualicunque recognitore.

Pagina 31. τῶν γὰρ &c.) Eum enim plurimi facio amicum, cuius equidem periculum prius feci commemoratum dignissimum, atque adeo nostras amborum epistolas & iam emissas & posthac exituras lecturis perquam illustre futurum.

Pagina 34. οὐδὲ οὕτω &c.) Neque sic male. Prouerbum supra explicatum.

Ibidem. τοὺς ἀπὸ τῶν παίδεσς &c.) Aueruncanos deos, hoc est mala arcentes.

Pagina 37. οὕτως γὰρ τὰ νωτῖα &c.) Ita certe in diuersum sentio quam uulgius uulgique praesides, isti ut quae plurimi faciant, ea fortiter ego magnificeque contemnam: huiusdem contra pro nihilo ducentibus quae nos admiramur.

Ibidem in fine epistolae ἐφ' ᾧ μὴ &c.) Hac lege ne quae à nobis inuicem scripta sunt, eorum memoriam refricemus: quanquam feram equidem moleste quod fidem ipse mihi



non habeat uel iurato, non iniqui me aut mali ab eo scripta consuluisse.

Pagina 44. ὑπὸ δὴ μέγας &c.) Debitis persoluendis conditiam prætergressus.

Pagina 60. ἔρρωσο ἄνεγ &c.) Vale uir candidissime, ac me istî animo Phœbî numine afflato redde cōciliatum. Nihil enim pluris æstimarim ipse, quàm à tali animo redamari qui singulari tum morū benignitate, tum dicendi lepore sit eximius. Neq; hunc profecto amorem cum Pluto charissimo pusione continuo permutarim siquando ipsum fuero consequutus.

Pagina 69. ἀμοιβὴ ἡνὶ &c.) Pensatione quadam amica, quanquam ultra diem legitimum dilata.

Pagina 73.

μακροζῶσε &c.) Velut beatum te admiror studiosorū mihi charissime. Primū quidem piæ religionis nomine quam professus es, cuiq; iugiter hæres tenacissime. Deinde etiam causa istius cōcinnæ philosophiæ uenustisq; tum Latinorū, tum Græcorum dicendi copijs instructæ & confertæ. Quā tu quidem solus, ut mea est opinio, in isto sodalitiō retines ac deoscularis. Hæc enim politiorum & bonarum literarū doctrina, quæ maiestatem quidem rectæ philosophiæ excolit, præterquam quod illustrem inter multos & egregium factura est si tibi modo curæ sint ipsæ, te etiam quū ab alijs plerisq; molestijs prorsum recreabit, tum ab ijs uero quæ in isto uiuendi instituto solent accidere.

Ibidem. ἐμέ τε καὶ &c.) Me liberosq; meos.

Ibidem ἐρ τοῖς ἡμιωτάτοις &c.) Interea quæ mihi & filijs preciosa sunt collocaui.

Pagina 87. καὶ ὄναο &c.) Vale & feliciter frueri amicitijsistis amore dignissimis. (Pag. 103.

καὶ τυχόν etc.) Sed cuilibet seu plebeio aut triuiali.

pagina



Pagina 105. ἐπὶ δῖος &c.) Ad Iouis amicitiae praesidis tribunal, uel etiam cuiusuis hominum qui utriusque nostrum sunt amici.

Ibidem θαυματουργία, ) Miraculorum efficacia.

Pagina 109. καὶ διατέλει &c.) Vale & perge Graecanicarum literarum studiis uacare cum fratre tuo mihi dilecto.

Pagina 111. εἰ μὲρ δῶ. Si igitur o Christophore cum fratre tuo Francisco mihi ac propriae liberi aequae dilectae parem eandemque super liberalibus disciplinis sententiam persistas facto exprimere, uirosque literarum splendore insignis comiter colore in honoreque habere, scias & ipse hac facultate illustrium, dicendi que acrimonia & eloquentia famigeratorum unum te tandem extitutum, quo utique nomine & parentes & consanguineos gaudio non mediocri affecturus es. Quod si maiore te exhortatione indigere mihi persuasum esset, uerbis ad hoc te studium exacuturis haudquaquam pepercissem. Nunc autem abunde haec tibi esse ducens nempe adolescenti studioso, & ad optimas disciplinas uehementer affecto, clausulam hic faciam epistolae.

Pagina 120. & 123.

ἢ τὸ ἀπόρημα &c.) Tua erat quaestio de hypothesis quaequam & argumento minime triuali capessendo ad iudicium specimenque ingenij optimis ac liberalibus exculti literis exhibendum. Haesitabas enim quodnam potissimum tibi eam in rem doctrinae genus accommodatum esset. Si quod nancque uulgarium ac minorum operum attigisses, haud magno quidem negotio uidebaris illud pertractaturus; caeterum laudem plausumque meritorum negabas. Sin eorum quae operae sunt precium adlatura quidpiam suscepisses, id praeterquam quod multa tibi negotia faceretur, ne sic quidem ad propositam tibi gloriam euasurum, propter multorum recte ordinemque locandorum difficultatem. Adeo enim esse deprauata



& philosophorum & theologorum scripta, ea ut ab initio  
 in totum innouare minoris sit negocij quam scitis uerbis &  
 excultis sarcire & instaurare. Sūt hæc ferè opinor quæ anci  
 piti animo te & consilio esse cogebant: de quibus sententiã  
 ut proferam meam necesse mihi arbitror, te quidem id postu  
 lante. Porro tecum propemodum similiter uniuersa de re  
 sentio. Nam perperam sita, uel prorsus recõcinnanda sunt,  
 uel ne mouenda quidem. Sic ubi nanq; iunctura uenusta re  
 polieris, alibi autem non attigeris, causam haud dices quin  
 inuenti commendatione frauderis. Quandoquidẽ adorsus  
 mox quispiam quæ ipse transmiseris, & tibi instauratorum  
 memoriam obscurabit & gloriam denique omnem operis  
 egregie feliciterq; profligati reportabit. Id quod mihi iam  
 in non paucis usu uenisse persentisco ab ijs qui post me lo  
 cos Pandectarum multis intellectu difficiles adnotarunt.  
 Proinde me si consulentem audis, satius tibi duxeris, ne in  
 choanda quidem esse quæ nõ tuæ prorsus industriæ sint ob  
 secundatura, quàm inchoata relinquere uelut aditũ uiamq;  
 aucupandæ gloriæ opus ipsum excepturis munientia: quẽ  
 admodum nobis contigit. Itaque alia potius censeo tibi in  
 stituenda quorum explicationem fore tractabilem spera  
 ris: quanquam nihil propemodum sit in ijs quæ de rebus &  
 diuinis & naturalibus differuntur quod acri, quod exquisi  
 to studio dicendiq; uenusta dignitate assequi non possis.  
 Quod inuidiam si reformidas, si rei ipsius tædiũ grauaris ob  
 istos contentiosos rabulas elegantioribus hominibus infe  
 stos, quibus moris est cõfertim & ferociter in noui quidpiã  
 molientes insurgere, quonam pacto forti esse animo prædi  
 tus uideare, tuoq; cõstanter Erasmo patrocinari: qui & pri  
 mus & solus inuidiam in se suscipere atq; sustinere ueritus  
 non est: quod iugiter prosequitur, id q; strenue ac fortiter.  
 Qua quidẽ alacritate & generositate mansuetiores iam qui  
 ex



ex eis ferinos induerūt mores & animos effecit. Sectare igitur uirum, uicissimq; bonarum ipse literarum studiosis ingenij istius specimen adorna.

Ibidem pagina 124.

ἐν τῷ πρὶ &c.) Apud oratorē in oratione de pace largiri.

Ibidem pagina eadem.

καὶ τὰ προσηκόμενα &c.) Profusa erunt meliora. Lysias, quod nobis nihil largiuntur de rebus suis.

Ibidem. ἐν τῷ &c.) Apud Aristotelem in libro de Enunciatione.

Ibidem λόγος δὲ ὄσιμ &c.) Vt enim nomē est uox significatiua iuxta iuncturam sine tempore.

Ibidem εὐλωνός ὄσιμ &c.) Enunciatum Philonis est.

Ibidem καὶ τὸ &c.) Iuxta eadem. Iuxta eundem modū

Pagina 138. καὶ τὰ τῆς δὲ &c.) Vale & dicta huius epistolæ quæ iocosa uidentur, habe pro iocis. Quæ autē secus, hæc pro modo cōsentaneo dicta serio tibi persuade, ut quæ ad numen ipsum piarū religionem pertinent. Hæc enim ex illorum sunt numero quæ à iocis abhorrentia risum non admittunt.

Pagina 149. ἐπικοῖται etc.) Vir stultus sibi ipse applaudit & gaudet ut pro suo amico spondens.

Pagina 151. ἀπὸ φίλων etc. Bona amicorum communia.

Pagina 152. ἐν τῷ πρὶ ἀνεκινδύνατον etc.) Tametsi mihi postea æstimanti nonnulla sententijs ex periculo petitis uisa sunt attentata, ubi uobis intellexi, quæ ipse scripsissem, displicere.

Ibidem. ἐν πᾶσι etc.) Nectamen de omnibus similis tecum mihi sententijs.

Ibidem πρὶ σωρῶν etc.) Placet enim quod de farragine triualium esse censes, ubi τῶν τυχόντων subaudi γραμμάτων & τυχουσῶν supple ἐπισολῶν.



Pagina 156. ταύτῳ μὲν δὲ &c.) Istud porrò institutum comprobo, mathematica cum diuinis literis consociando, modo celebribus illis ut inquis theologis præceptoribus utare. Quam studiorum rationem lubens equidem capessere rem, si tecum mihi par ætas & otium nunc suppeterent.

## F I N I S.

ERRATA QVAE EXEMPLARIS VITIO  
in Budæi epistolis prioribus impressis ob-  
repperunt, ita castigato.

- Pag. 30. uer. 2. tetrarchiæ, lege, trierarchiæ.  
43. uer. ultimo, extulerunt, lege, extuderunt.  
47. uer. 7, reddidisti, lege, credidisti.  
78. uer. 19. tua, lege, tuæ.  
Eadem, uersu 25. quod, lege, quum.  
80. uer. 19. hominibus tibi amic. lege, hominum tibi amicis-  
cissimorum.  
82. uer. 16. habitis, lege, habendis.  
91. uer. 32. in orbem, lege, in ordinem.  
132. uer. 13. Num penè, lege, nunc enim penè.  
154. uer. 6. in ordinemq̃.  
157. uer. 6. Quibus in ipsis, lege, ad ea enim ipse.  
Eadem uer. 15. in ijs libris, lege, ad eos libros.  
222. uer. 5. acurare, lege, accurare.